

Nunc mihi Tarpejas quantumvis Juppiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.

Si pelago Tybrim præfers, urbem aspice utramque,
Illam homines dices, hanc posuisse deos.

II. Syncrisis: ut, Primi nostri parentes lapsi sunt. Diabolus illis lapsum suasit; nec solum suasit, sed ad illum ipsos impulit. Homines miseri assenserunt. *Quid tu, si loco primorum parentum fuisses, aliud te facturum fuisse putas?* Deus pro inscrutabili suâ iustitiâ, quam scrutari nefas, adorare religiosum, labi primos illos homines permisit. Non igitur permissionem Dei accusa, ô homo lumbrice miser, & assensionem protoplastorum excusatum i; sed te & Satanam rebellionis & criminis læsa divinæ majestatis argue. *Item:* Multa debemus parentibus à quibus vitam hanc secundum Deum accepimus. Multa patronis, qui vita nostrâ defendunt. Plura præceptoribus, qui bene vivendi rationem docent, adeoque animæ vitam è cineribus veluti excitant. Deo autem plurima, immo omnia, qui & nos, & parentes, & patronos, & præceptores imbre suarum miserationum perfundit singulis momentis, & sua in nobis coronat dona quam liberalissimè.

III. Conglobatio; ut, Philippus Rex Hispaniarum provincias Belgicas cōmisit Duci Albano gubernandas. Albanus introduxit inquisitionem Hispanicam, & leges fundamentales de avita libertate illorum violavit. Deus in cordibus multorum zelum pro religione accendit. Belgæ libertatem retinere proq; illâ pugnare sibi proposuerunt, & summam rerum penes Wilhelnum principem Auraicum esse voluerunt. Hinc extitit bellum illud toto orbe celebratissimum. *Hoc modo bella describuntur, & Sacra menta in Theologicis. Talis conglobatio est in illo exemplo:* Homines paulò ante diluvium in peccata pleno impetu despumabant, præconem iustitiae Noachum contemnebant, in peccatis sibi placebant, illa quin etiam defendebant. Deus itaque prout est justus osor & ultior peccati, hunc sui contemptū punire volens, exercitum cœlestem instruxit & armavit potentissimè adversus homines illos immorigeros, & fenestris cœli adapersis totum terrarum orbem cataclysmo perdidit. *In duabus hisce exemplis habes causas impellentes, principales & instrumen-*